

PANEGYRICUS ^T
DIVIS
COSMÆ ET DAMIANO

ARTIS MEDICAE TUTELARIBUS
IN ACADEMICA S. J.
ÆDE S. JOANNIS BAPTISTÆ
CORAM
S. P. Q. ACADEMICO DICTUS,

DUM
INCLYTA FACULTAS MEDICA
TYRNAVIENSIS
EORUNDEM
DIVORUM TUTELARIUM
CELEBRITATEM ANNUAM SOLENNI RITU IN-
CHOARET,

Deferente

PER ILLUSTRIS AC CLARISSIMO DOMINO
JACOBO JOSEPHO WINTERL.
AA. LL. ET MEDICINÆ DOCTORE
Chemix, & Botanix P. P. & Ordinario, nec non Inclytæ
Facultatis Medicæ id temporis
DECANO SPECTABILI,
ORATORE

IGNATIO SCHWEGER, ejusdem Artis sa-
luberrimæ Auditore.

*Anno a Partu Virginis M. DCC. LXXIII.
Die V. Septembris.*

TYRNAVIÆ
TYPIS COLLEGII ACADEMICI SOC. JESU.

P A N B E T R I C U S
D I V I S
C O S M A E T D A M I A N O

KNY-18-00883



AD S. JOHANNIS BAPTISTAE
S. S. ACADEMICO INTELLECTU
DE
IN CERTA TABULA TABULAE MEDICAE
TYRINAVIENSIS
DIVORUM TUTELARUM
EXHIBITIONEM ACADEMIAE SOLIMANAE IN
CIVITATE

PERLUSTRATA AC CLAUSTRATA DOMINO
JACOBO JOSEPHO WINTHERL
A. A. M. D. ET MEDICINAE DOCTORE
CENSURAE, ET BREVITATE, ET ORDINE, ET RATIONE, ET
FACILITATE, ET
DECANO SPECIALLY
ORATOR
IGNATIO SCHWIGER, eisdem Artibus
Laborator Aegyptiorum
Hujus a Patre Nigam M. DEC. P. A. M.
Die V. Septembris.

T Y R I N A V I E N S I S
Hujus Consensu Acaedemico 200 Jaro



ORATIO.

Satis cumulateque exploratum habeo AA. neminem adhuc eorum, qui de Divorum suorum Tutelarium laudibus, pro more institutoque majorum, quotannis ex hoc loco ad Vos verba facturi erant, adeo ab officio suo discessisse, quin omni animi contentione ac studio, quidquid jam inde ab ineunte ætate cum facultatis, tum ornamentorum in dicendo sibi comparaverat, hoc potissimum loco atque tempore in medium proferre adlaborasset. Enimvero tria vel maxime, quæ Oratorem ad dicendum accedentem eo impellunt, esse existimo, primum rerum oratione persequendarum magnitudinem, tum audientium dignitatem, ac denique loci ipsius, quo Oratorem consistere oportet, amplitudinem. Ad primum eorum advertenti mihi animum tanta ac tam multiplicia se se Divorum COSMÆ ac DAMIANI Tutelarium nostrorum offerunt præclara facinora, ut quam potissimum illorum partem pro oratione desumere, unde dicendi exordium



facere, ubi consistere, finemque me facere oporteat, haud quaquam dispiciam, eodemque tempore mihi ingenio, ac doctrina siqua illa est, in rerum tam illustrium admirabili varietate periclitandum sit. Neque id quidem immerito, nam sive ad morum integritatem, sive numerosum virtutum pulcherrimarum comitatum, innumeraque alia animi ornamenta, quibus Divi hi Fratres, velut invicto adversus omnes vitæ hujus in tam ancipiti semper, ac propinguo discrimine versantis insidias præsidio instructi erant, oculorum aciem convertam, tanta illa esse omni ex parte deprehendo, quanta nemo, nisi temeritate inductus, verbis affecuturum se speraverit: sive etiam rerum ab ipsis gestarum numerum, rationemque inire aggrediar, dubitare profecto non possum, fore, ut prius me tempus deficiat, quam vel ad dimidium in enarrando fuero progressus. Ut adeo in isthac rerum numerosissimarum serie atque apparatu non minus me de eo, quid potius dicturus essem, sollicitum esse oporteat, quam si ad id genus argumentum descendissem, in quo ob rerum dicendarum inopiam, quod ad pertractandum traduci possit, suppeteret nihil. Quodsi porro AA. & amplissimam Vestram in Republ. Literaria dignitatem, & doctrinam ex omni Scientiarum genere incomparabilem, & summam Vestri Ordinis auctoritatem ob oculos ponam, toto mihi pectore enitendum esse intelligo, nihil ut dicam, quod vel inconditum sit, vel a vero etiam alienum. Si denique loci, in quo Orator assurgo, amplitudinem circumspiciam, ea perinde non parum mihi perturbationis adferre posse videtur; Tyrnaviæ enim res agitur, antiquo jam Artium amœniorum juxta ac sublimio-



miorum Domicilio, cujus ad claritatem, splendorem-
que ne quid a posteris desideraretur, immortalis AU-
GUSTISSIMÆ nostræ PRINCIPIS in Literas Amor
ac Munificentia præstitit. Quæ cum ita sint, cumque
singula paulo curatius mecum expenderem, tanta ani-
mum sollicitudo perculit, abfuerit ut prope nihil,
quin omnem mihi delatam dicendi provinciam depre-
carer. Verum enim vero non mediocriter me Vestra
illa singularis Liberalitas recreat, ac Prudentia, qua
factum iri mihi persuadeo, ut tametsi neque ea sim
doctrina & ingenio, ut ad præsentis diei celebritatem
parem eloquentiæ vim, majestatemque adferre valeam,
neque ad eam etiam pervenerim ætatem, quæ mihi
gravitatem in dicendo cum auctoritate conciliet: nihi-
lo tamen secius officio meo nusquam deesse adnitar, bene-
gnus, ita Vos natura comparatos esse, ut, si quid
humilius vel strictius dixerò, id non tam mihi, quam
rerum dicendarum magnitudini, quam nemo verbis
pro dignitate exæquaverit, sitis imputaturi.

Quam ob rem, ut in tam vasto rerum amplissi-
marum Oceano, non plenis, ut ajunt, velis mea in-
grediatur Oratio, ne videlicet suo excidat cursu, ex
omnibus quæ in vita Divorum horum non sine in-
genti animi admiratione nobis se se præbent conspi-
cua, unam potissimum Virtutem hodierna die mihi
visum est laudibus, pro eo, ac par est, efferre, quæ
& illorum vitam post hominum memoriam vel maxi-
me illustrem reddidit, & a saluberrimi Studii Medici
Cultoribus ex omni omnium retro sæculorum memo-
ria ad hæc usque tempora exercetur, & meo vel ma-
xime proposito accommodatissima ante alias esse vide-



batur. Quæ jam vero illa est AA? Fortitudine ani-
mi, atque invictum robur, quo ad blandientis for-
tunæ fucos perinde ac terrentis minas, cruciatusque,
ac mortem ipsam pro tuendo, confirmandoque novo
veri Numinis cultu, ac lege perstiterere immobiles? mi-
nime id quidem; quippe quæ unicuilibet eorum, qui
pro novæ legis Auctore se suaque cuncta ad extrema
quæque subeunda devoverant, est communis. An il-
libatus pudor? haud quaquam; nam quamvis hunc
etiam Divi nostri ad reliquum Virtutum suarum com-
mitatum adjunxerint; tantum tamen abest, ut illius
ornamento, ac splendore summam actionum suarum
coronatam voluerint, ut ad altius etiam virtutum fa-
stigium eluctari conati sint. Quid adeo sublimius his-
ce credemus AA? vitæne in silvis, atque a mortali-
um conscientia seductis, inaccessibleque latebris exactæ
fama? istud vero ne tum quidem, dum ad extrema
supplicia quærebantur, in animum admiserunt. Sed
quid ego diutius animos Vestros expectatione suspen-
sos detineo? illa, illa Tutelarium Divorum Virtus
erat primaria, qua neque supremo rerum Arbitro
quidquam acceptius, neque societati generis huma-
ni utilius quidquam aut cogitari, aut fingi potest:
quam si ex hominum animis sustulisti, solem cælo,
spiritum vivis, naufrago tabulam eripuisti: Virtus,
quæ aliorum afflictis rebus commovetur, secundis co-
natibus & successibus favet, delectatur, opitulatur,
consilio, opibus, juncta opera: atque ut omnia uno
complectar vocabulo, Amor erga mortales, Amor in-
quam, qui hominem DEO quam proximum, similli-
mumque efficit, quique totius nostræ felicitatis est
fundamentum: tolle enim amorem; sustulisti gratiam,
offi-

❧ ❧ ❧

officia, atque mutuuum omne inter vivos commercium: tolle amorem; evertisti sanctissimarum legum auctoritatem, æqui bonique procurationem, & quæ ex hisce ultro consequuntur. Hoc sublato gratiam invidia, spem desperatio, pacem tumultus excipiunt, bona denique universa in transversum aguntur. Hunc itaque amorem, quo bini isti alienæ salutis Amatores adeo incensi abreptique erant ita Vobis hodie proponere fatagam AA. ut in prima Orationis meæ parte summum, interminatum in altera commonstrem fuisse: quod dum exequi pergo, differenti pro ea, qua estis, humanitate animum ad singula addicite.

Quæ in summum, consummatumque amorem cadunt, quæque ab eodem abesse nequaquam possunt, nisi me omnia fallunt, hæc sunt: ut ad omnes mortales æquabiliter pertineat, ut in summi eorum boni procuratione & conservatione versetur, ut ne inde commodi aut lucri quidquam in se redundare studeat: quod si secus fit, ad fastigium amoris hujus pervenitur nunquam. Unde conficitur ei, qui ad memoratam virtutem exercendam animum adjicit, ita in illa versandum esse, ut ne uni plus deferat præ altero, sed æquali cunctos affectu atque officio complectatur: in bono vero ipsorum procurando, promovendo, & conservando ita se præstare debet, ut nulli labori parcere, nullo incommodorum, quin ne periculorum quidem obstaculo retrahi velit, sed primo quoque tempore muneris sui partes obire, adnitatur. Idcirco si Divi Tutelares nostri eo amoris affectu genus humanum ita complexi sunt, ut nihil antiquius haberent, quam bonorum omnium, quæ DEUS T. O. M. nobis in hac

re-



rerum universitate concefferat usurpanda, bonum maximum procurare, & ita procurare, ut neque aut ordinis, aut sexus, aut ætatis habito discrimine favorem diversum deferrent, neque laboris quidquam in procurando, quantum necesse erat, subterfugerent; neque etiam ex hominum commodis utilitatis quidquam in se derivare conarentur: dubitari profecto non poterit AA. quin summus in iis erga genus humanum Amor extiterit. Quod equidem quam manifestis indiciis ostendi, evincique possit, satis superque nos intellecturos existimo, ubi adverterimus ad id animum, ut quam potissimum viam ad ea, quæ paulo antea in medium attuli, præstanda iniverint, cognoscamus.

Divi COSMAS & DAMIANUS Ægea Arabia Oppido oriundi, ut primum vocis per ætatem rationisque usum adepti sunt, nihil in vita potius habuerant, quam ut bonarum Artium studiis operam, quam possent maximam, addicerent, in quibus etiam tantos progressus utrumque Divum Fratrem fecisse memoriæ est proditum, ut in omni amœniorum literarum genere, ac Philosophia primas inter suos tenerent. At posteaquam ex hisce sibi quidem magis, quam aliis, utilitatem enasci atque accrescere perspexerant, in eam tandem concefferunt sententiam, ut ambo illi sese scientiæ dederent, cujus ope aliorum vel maxime commoda valerent promovere. Innumera hic sane erant AA. quæ desiderio tam pulchro tamque singulari satisfacere posse videbantur, legum videlicet divinarum, humanarumque ediscendarum scientia, vel opum juste conquirendarum atque in egenos munifice elargiendarum oeconomica rei familiaris industria, vel si ad Rempublicam accedentes
Con-



consiliis optimis publicam civium felicitatem augerent, firmarentque, sexcentaque id genus alia. Verumtamen etsi hæc omnia pro incolumitate societatis humanæ stare perspiciebant, votis eorum minime sufficere. Quod igitur vivendi genus magis arrisit? quid hisce allatis dignius, atque ad propositum suum accommodatius iis esse videbatur? Ars Medica AA. qua in unica sui se voti compotes futuros autumabant: quid ita? at intelligitis, opinor, quorsum mea jam spectet Oratio; ita profecto res habet; nam si per singula salutaris hujus artis attributa ire velimus, nihil me hercle! eorum, quæ ad summum in genus humanum amorem paulo ante facere contendimus, reperire erit, quod ab Arte Medica divinitus nobis concessa non proficeretur in mortales. Atque ut in primo statim eorum consistamus, quis vestrum aut omnium illorum est, qui vitæ humanæ commoda sibi ex asse perspecta habent, qui non unicum eorum fundamentum vitam ipsam esse sibi persuadeat? cujus ubi jacturam semel fecimus, universa simul ac semel vitæ hujus bona nobiscum damno irreparabili perierunt. Neminem vero eorum, qui in hac corona confederunt, adeo in scientiarum natura peregrinum esse reor, quem fugiat, solam ex omnibus Liberalibus Artibus esse medendi peritiam, quæ tanti boni amittendi periculo occurrere queat, vitam, valetudine a morbis vel vindicata, vel præservata, defendendo. Quippe ego neminem unum esse suspicor, qui non aut ex aliis intellexerit, aut in literarum monumentis repererit, aut etiam propriis oculis seu in se ipso, seu in alio usurparit, vitam humanam sæpenumero sævissimorum, ac deleteriorum morborum vehementia jam ad ipsa mortis limina proturbatam ope her-



barum, ceterarumque rerum naturalium, quas adorandum Numen hos in usus condiderat, in pristinum suum statum fuisse restitutum. Id ipsum jam olim fabulosa Græcorum Antiquitas haud inverosimili elegantissimoque commento confirmavit, dum finxit Æsculapii Arte Hyppolitum ab equis suis, curru per devia in præceps acto, misere discerptum a morte ad vitam rursus fuisse revocatum. Et vero si ingeniosæ huic fabulæ velum detrahatur, liquido, me judice, apparebit, Æsculapium huncce fuisse, non Deum aliquem, non Apollinis nescio cujus filium, sed hominem in medicina ægris facienda tam peritum, quam qui maxime: Hyppolitum vero non ab equis discerptum, non e sepulchri tenebris ad lucem multis post diebus protractum, sed ægrum corporis malorum vi lectulo affixum, atque ulteriori vita fruendi spe tantum non omnino destitutum: equos denique currum per avia raptantes quid aliud sibi velle dixerimus, quam effrænes, concitatasque ægritudines, impotens mortale corpus, cui anima veluti vehiculo cuidam insidet, deplorandum in modum non raro convulsam, divexantes turbatisque ejus actionibus, quæ ad naturam, vitam, commerciumque ejus cum anima faciunt, in mortis confinia provolventes, adeo, ut nisi Æsculapius aliquis tempori adfuerit, de vita conclamatum sit. Quapropter, si Medicæ Artis in hoc malorum genere a nobis propulsando tanta est vis, ac præstantia, dubium superesse nullum potest, quin Divi Tutelares nostri Amorem erga genus humanum incredibilem foventes medendi Artem amplexi, viam quam maxime idoneam ad maximum mortalibus bonum procurandum iniverint. Quam vero in procuratione hujus boni sese ab omni lucro, & emolumentum-



lumento temporaneo comparando alienos exhibuerint, existimavi, me operæ pretium haud facturum, si operose id evincere contenderem; cum inter Scriptores rerum ab his Divis gestarum satis conveniat, illos neque honorum consequendorum ambitione unquam fuisse ductos, neque accumulandarum divitiarum aviditatem ostendisse. A priore utique lucri genere proprio suo instituto prohibebantur. Opum autem congerendarum studium quantum ab iis abfuerit, velex eo pronum est æstimatione metiri, quod, posteaquam supremum diem obiissent, ἀναργύριον seu argento carentium nomen sint adepti. Quid jam porro, his exemptis, esse queat, quod in calamitosa hac vita in lucro ponendum sit, quodque magis ab illis expeti potuisset, ego profecto reperio nihil.

Reliquum etiam foret AA. ut ostenderem, Divorum COSMÆ & DAMIANI summum in homines Amorem ad totum humanum genus, quantum in ipsis erat, pertinuisse; nisi id alioquin ex Artis Medicæ natura pronum esset colligere, quæ omnem suum scopum, non in imaginariis impotentium animorum titulis, non in aspectabili amplissimorum Ordinum dignitate, non in palatiis, magnificoque divitiis affluentium apparatu, sed in sola corporum humanorum, myriadibus ægritudinum obnoxiorum, conditione miseranda præfixum habet: hac de re proinde ne verbum amplius. In procurando autem tanto bono, quantum est iudicio omnium vita nostra, quoniam fieri non potest, ut non labores plurimi, plurimaque incommoda sustinenda illis se offerant, qui se procuratores illius esse profitentur, non absre erit transitum facere ad ea, si non omnia,



ast graviora tamen, quæ procurationem hanc boni maximi comitantur, ut tanto etiam luculentius Divorum nostrorum in summo amore magnitudinem assequamur. Si quis forte est, qui rem tam apertam, tamque omnium opinionibus atque longissimo rerum usu pervagatam, in dubium etiam trahere videatur, consideret ille secum, velim, quid sit, quod ad valetudinem morborum vi dejectam, ac pene extinctam, ad pristinum suum vigorem reducendam requiritur, minus jam præstolabitur, quid me hanc in rem adferre conveniat, cum, quid in eadem ab unoquoque eorum, qui medendi Artem, officiaque profitentur, fieri necesse sit, considerarit. Si enim datur concessu omnium Imperatoris belli officia plena esse laborum ac periculorum, quis infitias iverit, non eadem quoque omnino illi homini subeunda esse, qui vitam adversa valetudine gravem redditam, fatiscentemque propediem, ab interitu vindicandam in se suscipit; cum eadem prorsus officiorum ratio, ac periculorum frequentia inter utrumque intercedat. Quemadmodum enim Imperatoris partium est, dies ac noctes quandoque vigilando extrahere, pro castrorum statione excubias ponere, ad omnem loci ac temporis opportunitatem animum advertere, ratione ac consilio nihil non administrare, vitam ac valetudinem, omni pene tempore in lubrico versantem, parvi pendere, si modo hostium aut vim opprimere, aut consilia evertere, aut insidiis occurrere, & plena demum victoria potiri, apud se constituit: ita pariter illis, qui curam agrorum in se pro virili suscipiunt, id præprimis agendum incumbit, ut pro lætis agrorum noctes vigilando multam in lucem, dies vero in serum noctis extrahant; omni morbum oppugnandi occasione
sint



sint intenti; quid interdiu, quid per noctem indiciorum, mutationumve in corporis malo appareat, sagaciter circumspiciant, ac de impendente morbi catastrophe, aut futuro medicamentorum eventu conjiciant; nihil ut agant, quod non e ratione, & consilio sit profectum: vitam denique ipsam ita sibi cum aliis communem putent, ut quantumvis mali, quod oppugnant, contagio ab ægrotis se se afflatum iri pertimescendum foret, nihilo tamen secius ab officio suo discedere minime meditentur. Atque hoc illud est AA. quod ad supra jam allatam Æsculapii fabulam veteres adjecere, ipsum nimirum, postquam remediorum viribus Hyppolitum vivis reddidisset, ab Jove e vita fulmine exturbatum fuisse. Quod nihil aliud omnino fuisse existimandum est, quam Medicos, ubi vitæ aliorum in ancipiti positæ consulere pergunt, suæ sæpe sæpius vitæ jacturam facere. Quæ cum ita se habeant, intelligitis jam AA. Divos COSMAM & DAMIANUM summum in homines Amorem præ se tulisse, cum ejusmodi fuerit, qui & ad omnes mortales pertinebat, & in maximo eorum bono procurando versabatur, & quamvis in officio non labores modo longe gravissimos, verum præsentissima etiam vitæ amittendæ discrimina adire necesse erat, tamen nullum inde lucrum sibi emergere passus fit.

Videamus jam AA. quî Amor ille summus in Tutelaribus nostris fuerit interminatus. Rebus in humanis interminatum, judicio omnium, compellare id consuevimus, quod cum viventibus nobis esse nunquam desinit, tum post obitum quoque nostrum superstes adversus quasvis temporis, universa tandem convellentis,



injurias , ac procellas non abolendum perstat , ita publice parta illustrium virorum fama , ita alia interminata audiunt. Amor vero Divorum Tutelarum cum is prorsus fuerit , ut neque , quo tempore inter vivos commorabantur , de illo quidquam remiserint , neque etiam morte ipsa , quæ omnem alioquin rerum humanarum sensum in animis nostris exstinguit , ac delet , interruptus fuerit , interminatus fuisse dicatur , oportet. Nam quod ad vitam illorum attinet , quantum ex incorruptis rerum ab ipsis in vita gestarum monumentis eruere licet , nusquam non æquabilia amoris memorati vestigia apparent : quin imo plus dicendum est , ea illius vestigia supersunt , ut dubitari non possit , illum ab ipsis vitæ procedentis momentis sua semper cœpisse incrementa. Namque ubi fama celebritasque nominis Divorum per universas urbes percrevissent , tantus in dies undique mortalium numerus ad ipsos convolabat , ut ad corpus cibo , quieteque reficiendum destituerentur tempore ; neminem tamen omnium repulsam a Divis tulisse accepimus. Quare ita eos animo comparatos esse oportebat , ut cum crescente ægrorum advenientium numero Amor quoque illorum incretceret. Atque hæc de Amore in vita Medicorum Divorum nusquam cessante , unaque jam sui parte , si ita Oratorem loqui fas est , interminato dicta sunt. Quid porro a morte Amor ille dignum posterorum memoria gessit ? dicam AA. postquam , quo facto tandem immortales isti Artis Medicæ Patroni e vivis sublatis sint , paucis ad Vos retulero. Hic vero mirari subit , quid sit , quod cum Divi Fratres de mortalibus bene meriti , nihil , nisi amorem spirantes , vitam ac fortunas in egentium necessitatem elocarunt , repertus tamen sit quispiam , qui ulteriore eos lucis communis usura



usura indignos reputaverit; Lyfias is fuit, ea tempe-
state magistratum gerens, orthodoxæ Religionis juratus
hostis, qui ubi neque oblata præmiorum magnitudine,
neque immanitate suppliciorum ab illis seu impetra-
re, seu extorquere potuerat, ut ab avitæ Religio-
nis in verum DEUM cultu abfisterent, e vivorum eos
numero, pro quorum salute ipsi jam multo ante mor-
tem nunquam detrectarunt, emovit. Quis tunc præ-
ter tyrannum sibi a lachrimis temperavit? infinitus
sim, si dolorem ac desiderium amissorum Divorum in
ægrorum animis oborta Oratione persequar; ad Amo-
rem revertamur, cujus cum incredibilis sit semper vis
atque efficacia, tum vero vel maxime fuit, dum Di-
vi illi Medici vitam cum morte commutarunt; is enim
nescio qua, vt ita dicam, transmigracione e Divorum
animis astra petentibus in eorundem corpora, ex his
in saxa denique tumulorum transivit. Quid enim ad
contactum sacrorum corporum primo, tum vero ipso-
rum etiam sepulchrorum non factum est? vel e solo
tumulorum, queis corpora Divorum supposita erant,
attactu, morbis afflicti mortales pristinam valetudi-
nem, novo prorsus atque inaudito medendi genere,
recuperarunt: ibi oculorum usu orbis lumen redditum,
ibi surdorum aures ad sonos patuere: ibi pedibus ca-
pti, relictis fulcris ac vehiculis, ambulandi copiam adepti
sunt. Dies me deficeret, si pergerem. Numquid er-
go Amor Divorum COSMÆ & DAMIANI est inter-
minatus? in vita crevit, a morte non desit.

Quare ut ad metam mea decurrat Oratio, de
Divorum Tutelarium laudibus, quas ex incredibili er-
ga humanum genus Amore ab omni retro memoria

ad



ad hæc usque tempora sibi pepererunt , finem dicendi
facio. Impræsentiarum vero ad vos Divi Artis Me-
dicæ Statores reliquum sermonis mei converto. Im-
mortales vobis grates refert universus iste Academi-
cus confessus , ac præsertim Amplissimus saluberrimæ
Medicinæ Ordo , pro tam singulari in se Patrocinio :
orat autem Vos , atque obsecrat , ut salutarem gene-
ri humano Artem , nunc primum AUGUSTISSIMÆ
nostræ PRINCIPIS liberalitate nullo sæculorum ambi-
tu silenda , in Regnum istud Apostolicum cum summa
omnium bonorum gratulatione , & applausu introdu-
ctam , majoribus in dies incrementis assurgentem , &
novellis suis lætam successibus , potenti Vestra Tutela
adversus omnes temporum injurias fartam tectamque
esse velitis ; AUGUSTÆque DOMINÆ pro tantis ,
queis Artem Soteriam ornavit beneficiis , longævam ,
atque incolumem felicitatem procuretis , tuea-
minor , & conservetis.

